THESES GENERALES DE FEBRIBVS:

QVAS

Divino favente Numine,

SUB PRÆSIDIO

CLARISSIMI & EXCELLENTISSIMI VIRI,

DN. EMANUELIS STUPANI,

Phil. & Med. Doctoris & in inclyta Baſil. Academia Profeſs. Theor. Ordinarii,

ventilandas proponit

M. JOSEPHUS MICKLETHVAITIUS, Anglo-Britannus,

In auditorio Medico, ad diem 11. Octobr.

ANN. MDCXX.

BASILEÆ,
Typis JOAN. JACOBI GENATHII,
Acad. Typographi.

61927/P

DIGNISSIMO VIRO,

DN.

ELIAE MICKLETHVAITIO,
in
celeberrima civitate Eboracenſi
Senatori,
Patri ſuo æternùm co-
lendo,

Theſes haſce
de
FEBRIBUS

offert

JOSEPHUS MICKLETHVAITIUS,
filius obedientiſs.

I.

NATURAM febris in calore conſiſtere & Theoricorum definitiones,& Practicorum medicamenta abundè comprobant; qualis verò ſit hic calor,an naturalis intenſus, an præternaturalis,non exiguam dubitationem præbent diverſæ diverſorum definitiones; quas quidẽ diligentiùs ſi introſpexerimus,calorem pręternaturalem aſſerentibus facilè ſuffragabimur; hic eſt qui continuò calorem nativum in propriam ſuam naturã convertendo diminuit,& humidum in quod propriè agit exſiccando depaſcitur; ex hoc ſolo proveniunt vitioſę iſtę actiones, quæ febribus attribuuntur, ñeq; ex calore naturali per ſe,nec cum hoc conjuncto;dicere enim,ex naturali per ſe non modò naturale morbi materiam eſſe poſſe, ſed & idẽ agere in ſe ipſum eſt confiteri; aut cum hoc conjuncto, eſt aut duos calores unius febris formam, aut hos duos unum tantùm eſſe ſtatuere.

II.

Siccam intemperiem huic calori neque adjunctum neceſſarium,nec ejusdem partem eſſentialem ſatis docent humida corpora febricitantia.

III.

Caloris febrilis duplex eſt ſubjectum, inhæſionis, & denominationis; inhæſionis malè à multis ponitur cor, cùm reverà non magis dici poteſt ſubjectum quàm jecur,tantum enim lęduntur actiones naturales quantũ vitales, imò & ex illarum læſione eſt quòd hæ ſæpè læduntur; malè etiam ponitur pars aliqua alia particula-

ris,cùm omnium partium actiones offenduntur: verum ſubjectum ſunt ſpiritus,quorũ adminiculo omnis actio perficitur,quibusq; inſigniter lęſis neq; cor,cerebrum, jecur,neq; ulla alia pars officio rectè fungi poteſt.

IV.

Spiritus autem cùm ſint triplices,naturales,vitales & animales,diverſimodè offendũtur,cumq; ex naturalib. efficiuntur & animales, & vitales, illos primariò offendi eſt neceſſe,& adæquatum febris ſubjectũ jure vocari.

V.

Spirituum triplex eſt læſio,depravatio, diminutio, & ablatio: depravantur primò, deindè diminuuntur, ultimò abolentur; in productione febriũ ſæpè lædũtur vitales & animales ſpiritus,antequam naturales:verbi causâ,in epidemiis, & diariis febribus primò jacturam vitales patiuntur,dum calefiant per inſpiratum aërem primò arteriarum ſpiritus, aliquãdò calor externus capite primò calefacto animales offendit illęſis adhuc naturalibus; ſæpè poſteà, cauſatâ nimirum febre ex cibo vel potu calefaciente, febricitare tamẽ hominem non dicimus, niſi ſpiritus naturales aliquam mutationem per calorem ſubiverunt.

VI.

Depravatio ſpirituum duplex eſt,vel ex admiſtione peregrinæ ſubſtantiæ,vel ex generatione novæ qualitatis:ratione prioris,dicimus omnes ſpiritus depravari,ſi modò febris oriatur ex vitio vel primæ vel ſecundæ cõctionis,hocq; ordine,ut primò naturales,deinde vitales,deinde continuante,vel creſcente febre animales vitiantur. Hujus ratione nõ ſemper omnes depravantur, nam animales in partibus humani corporis frigidioribus inſidentes longiùs temperaturam ſuam naturalem conſervant, & calori diutiùs reſiſtunt, hinc non

niſi

niſi in febribus valdè acutis aut cæcutiunt,aut ſurdeſcunt,aut delirant ægroti,neq; eodem ordine;ſed nunc primò vitales,aliquando animales, aliquādo naturales, ut patet ex theſi ſup.

VII.

Proximum requiſitum caloris in rebus quæ poſſunt rarefieri cùm ſit attenuatio ſubſtantię, potiùs hāc quàm vim vel actionem alterius ſubjecti calefacti ipſam calefactionem immediatè præcedere ſtatuimus,motumq; putredinem, viciniam rei calidæ,obſtructionem inter requiſita remota jure ita recenſemus, ut motus vicinitate rei calidæ, vicinitas rei calidæ putredine, putredo obſtructione pororum ſit proximior; quódq; hæc propriè efficientes cauſæ dici non debēt,ex enumeratione facilè conſtabit;quod motum concernit,res eſt ſatis dilucida, efficientis enim cauſalitas eſt actio, actio verò omnis in motu conſiſtit, motus ergo ſi aliquid efficiat, in motu neceſſe eſt, ut efficiat, quòd ſine progreſſione in infinitum concedere non poſſimus,vicinitatem eſſe cōditionem neceſſariā, ſine qua res calida operari nequit,conſideranti palàm eſt, per obſtructionē remotè & per accidens interiora calefiunt, putredo cōditio eſt, quâ res,quæ alio in ſtatu anteà fuit,jam calefacta per externū calorem in altera re calorē producit: calida tamē aſſumpta ſunt quidē cauſæ,ſed remotæ, quæ vel in chylificatione ventriculum, vel rudimentū ſanguinis adepta jecur,vel ſanguis facta reliquas partes calefacinut.

IIX.

Subjectum denominationis eſt animal,&,ut Medici conſiderare ſolēt,eſt humanum corpus ſecundùm partes principales, jecur & cor ſemper affectum; in remiſſioribus febribus quidē hæ partes ſolæ ſæpiùs afficiuntur,in acutioribus non tantùm hę,ſed & ventriculus,renes,lien,& ipſum cerebrum aliquando patiuntur.

IX.

Manifeſtatur læſio harũ partium non eodẽ tempore, nam primò omnium calida cordis intemperies quàm cæterarum partiũ ex pulſu & reſpiratione citiùs nobis innoteſcit; hinc cõmuniter appellatur febris ſubjectũ, jecoris (niſi ſit febris valdè acuta) intemperies quàm cerebri priùs deprehẽditur, poſteriùs quàm cordis, utpotè poſt aliquot concoctiones; cerebrũ utplurimùm ultimò ut afficitur, ita ejus actiones læſæ ultimò percipiuntur.

X.

Cùm diverſum in hominibus ſit temperamentũ cerebri, unaq; eſt qualitas quæ lædit, nõ videtur intellectionem in omnibus offendi poſſe. Calor quidẽ primariò calefacit, ſecundariò exſiccat, per accidens refrigerat cerebrũ, & humectat; cerebris igitur humidis febrem prodeſſe potiùs quàm nocere patet; hinc eſt, quòd qui humidum habẽt cerebrum, nõ tantùm febricitãtes, ſed etiam poſt febrem & acutiùs reſpondent, & ſententias compoſitiores proferunt; ſiccis officere tantum quantum humidis prodeſſe; calidorum intellectum depravare in ipſo paroxyſmo, perq; accidentalem frigiditatem, quam inducit, poſtea adjuvare; frigidorum torpentes ſpiritus excitando apprehenſionem agiliorem reddere in ipſo paroxyſmo, calorem verò nativum evocando ſtupiditatem inducere poſt paroxyſmum.

XI.

Diviſionem febris eſſentialem nullam agnoſcimus, eſt enim ſpecies infima, quæ in ſpecies ſibi inferiores dividi nequit, ſed tantùm in febres individuales, quæ differunt ſecundùm magis & minus. Sic febris diaria, humoralis, hectica differunt, quaſi dicas, mitis, major, & maxima; nam non putamus, quòd diſtinctum habeant ſubjectũ, & diaria ſpiritus, humoralis humores, hectica

partes

partes ſolidas occupet,omnes enim occupant ſpiritus, humores, & partes ſolidas; nec diverſus eſt calor, ſed gradu diverſo diverſimodè operatur, ut mitior ſpiritus incendit minùs, hinc nullum detrimētum humoribus; major humoribus per ſpiritus officit illęſis partibus ſolidis; maximus & ſpiritus, humores, & partes ſolidas infeſtat.

XII.

Calor hic ſive ſecundùm ſe, ſive reſpectu ſubjecti, in quod agit,varios febricitandi modos ſolet nobis offerre: reſpectu ſui tot nobis ſuppeditat, quot caloris gradus mens humana concipere poteſt; reſpectu materiæ quot mutationũ formarũ materia per calorẽ eſt capax; eadem igitur febris poteſt ſe per alios caloris gradus & alia ſymptomata patefacere,quę ſi Medicus in ſua praxi non obſervaverit,non inde naturæ febris inſcius eſt habendus.

XIII.

Diſtinctionis alicujus causâ cõſiderari poſſunt febres vel reſpectu generationis modi, vel reſpectu afficiendi modi, vel reſpectu adjunctorũ, vel deniq; reſpectu materię,ex qua oriuntur;reſpectu generationis modi dividuntur in primarias, & ſymptomaticas; reſpectu modi afficiendi corpus dupliciter, ſcilicet ratione temporis, vel intẽtionis; reſpectu temporis,in longas, breves,cõtinuas,interpolatas; reſpectu intẽtionis,in acutas,peracutas,perperacutas;aliæ ſubjectum leviter afficiunt,ut ephemeræ; aliæ graviùs,ut humorales; aliæ graviſſimè, ut hecticæ:reſpectu effectorum in ſubjecto, ut in putridas & petechiales;reſpectu materiæ ex qua,aliæ dicuntur ex pituita,aliæ ex bile &c. ortum habere.

XIV.

Conſideratio febrium ſymptomaticarum ad tracta-

tionem febrium non pertinet,ſed ad morbum cujus hę febres ſunt ſymptomata,hoc enim ſublato tolluntur.

XV.

Ex calore continuò ſpiritus infeſtante oritur febris continua aliquando æqualiter, hinc fit ſynocha; aliquando diverſis exacerbationibus, hinc ſpecialiter dicta continua.

XVI.

Inæqualitas in continuis non oritur ex diverſitate vaſorum materiam calefactam continentium, cùm eadem ſunt quæ humorem malignum continent ac in ſynocho; ergo ex diverſitate humorum eſt, quòd continuæ aliæ ſunt tertianę,aliæ quartanæ,aliæ quotidianę, cumq; neceſſe eſt ſanguinem propriè ſic dictũ accenſis his humoribus calefieri, hinc nulla ſequitur infebricitatio; non enim putamus, hanc continuationem vel ex pituita,vel bile,vel melancholia calefacta,non calefacto ſanguine,oriri poſſe; primò,quòd impoſſibile videatur ſanguinem aliis humoribus nõ compati,cùm majorem propenſionem ad putredinem habeat quàm reliqui humores;deinde,quòd reliqui humores ſingulis paroxyſmis vel planè diſcutiuntur,vel in alia loca amandantur; ſanguis igitur in majoribus vaſis contentus, neq; in minora miſſus, donec alius ſit generatus, & ſimili qualitate imbutus,rectiùs hujus cauſa dici videtur.

XVII.

Cauſam continentem febrium ſynocharũ ſtatuimus maſſam ſanguineam calefactã: calefit hæc maſſa multis modis,vel ex calido inſpirato,vel ex calido comeſo,&c. Malè igitur ponitur ſola obſtructio hujus calefactionis cauſa,quaſi impoſſibile eſſet tàm diù durare hanc febrẽ ſine oppilatione productã; quid ni enim cibus, potus,

aër

aër tantæ poteſt eſſe virtutis, ut in plures dies hanc febrem prorogет.

XIIX.

Febres putridæ vel ſunt cõtinuæ, vel ſynochæ, vel interpolatæ; ſynochæ oriuntur ex maſſa ſanguinea calefacta in primis vaſis: continuæ vel ſunt tertianæ ex bile, quotidianæ ex pituita, quartanæ ex melãcholia; pituita enim citò emittit vapores, quoniã humida eſt; bilis citiùs quàm melancholia, quia non adeò ſicca eſt; non ſunt ergo hę periodi ad motus cœleſtes referendę, ſunt enim cauſæ nimis remotæ, neque ad locum, in quo putreſcunt humores, cùm in omnibus continuis idem eſt locus; neq; ad fomites, quos humores poſt ſe relinquunt; eâ enim ratione in corpore bilioſo febres erunt quotidianæ, ex multa enim bile multus erit fomes; neq; ad calefactionem, nam hinc febres quotidianæ eſſent ex bile, faciliùs enim calefit.

XIX.

In omni febre putrida duplex eſt vapor, humoris integri, & humoris putrefacti; ille præcedit, hic ſequitur; minorq; eſt hujus copia, antequam enim putreſcit humor, aliquantulùm exſiccatur; illius major, utpotè orti ex ſubjecto humidiore: infenſiores tamen humanæ naturæ ſunt qui proveniũt ex humore putrido, quàm qui ex humore naturaliter ſe habente.

XX.

Ex diverſitate vaporum oritur iſta diverſitas in paroxyſmis, quòd in initio ſit mitior paroxyſmus quàm in medio, quando perſentitur vapor putridus magis moleſtans, quàm ſincerus; non ex paucitate vaporum, cùm plures ſunt in principio paroxyſmi quàm in medio.

XXI.

Calor ille externus, qui eſt cauſa putredinis, nõ ſemper

per ineſt aëri, ſed aliquando aliis partibus, quæ locum ambiunt in quo generatur putredo, calefactis ſcilicet ſæpiùs per obſtructionem quàm per aërem externum ambientem; hoc docet corpus craſſum & athleticum citiùs hiſce febribus correptū, quàm tenue & gracile, etiamſi ſit calidius.

XXII.

Locus putredinis pro diverſitate febrium eſt diverſus; in febribus putridis ſynochis humor peccans inhæret primis viis, ſcilicet in venis meſeraicis, & vena portæ; in febribus continuis in ramis venæ cavæ majoribus; in febribus interpolatis extra venas: idem verò non ſemper eſt locus ubi materia ad putredinē diſponitur, in quartana enim, quotidiana, & tertiana nunc in ventriculo, nunc in venis meſeraicis, nunc in ramis venę cavæ, nunc in habitu corporis diſponitur: in ſynocho nunc in chylo, nunc in primis viis, nunquam in vena cava vel habitu corporis.

XXIII.

Concluſionis ergò ponimus, 1. Febrem eſſe intemperiem calidā ſpiritibus naturalibus inſidentem, perq; hos diffuſam non tantùm in cor, ſed in reliquas partes humani corporis. 2. Diminutam actionem non ſemper præſupponere diminutos ſpiritus. 3. Actiones animales ex calore per ſe depravari, per accidens aboleri, & diminui. 4. Subjectum adæquatum morborum eſſe corpus ſentiens, Medicumque, dum conſiderat tantùm corpus humanum, morbos de proprio ſubjecto non demonſtrare. 5. Quorundam ſymptomatum corpus humanum eſſe adæquatum ſubjectum. 6. Pituitam citiùs bile putreſcere, tardiùs calefieri. 7. Loci principale munus eſt continere locatū, nō conſervare. 8. Dari poſſe febres cōtinuas ſine putredine.

9. Cale-

9. Calefactionem eſſe cauſam motuum humorum, non putredinem. 10. Humores qui citiùs ex ſe mittunt vapores, frequentiores facere paroxyſmos. 11. Quintanas, & ſeptanas oriri ex melancholia. 12. Non abſurdum videri, animales & vitales ſpiritus naturalibus qualitates cõmunicare. 13. Non eandem eſſe numero bilem, nec eandem numero melancholiam, quæ in diverſis exacerbationibus ſpiritus offendit. 14. Sanguinem eſſe cauſam & cõtinuitatis, & æqualitatis. 15. Vomitoria in febribus nõ arguere humorem peccantem contineri in primis viis. 16. Sudorifera in febribus putridis ſemper prodeſſe; vomitoria & venæ ſectionem non ſemper. 17. Nauſeam & vomitum oriri poſſe ex vapore in habitu corporis moto, & deinde ad ventriculum uſq; dilatato.

F I N I S.

AD
D. M. IOSEPH. MICKLETHVAITIUM, amicum ſuum intimum.

NUNC JOSEPHE capis decus
Quod vitæ fragilis ſit, rapido ingenI
Vires quum exſeris impetu,
Et ſcutis renovas bella recentibus.
Haud ullam arma dabunt duci
Laudem, perpetuâ fracta rubigine,
Ni rumpant acies : honor
Illos nec ſequitur, qui proprio in ſinu
Quid poßint animi tegunt,
Nec tentant patulis prodere in atriis.

Honoris ergò
JOHANNES SCRETA Schotnovius
à Zavorzitz Bohemus.